

qui non in Atheismum lapsu graviore degenerent. Hoc porro capite triplicem apud Sinas Ethnicorum omnium sectam persequar. Nam de Saracenis, Iudæisque, & etiam Christianorum apud Sinas vestigiis, alius erit ex instituto dicendi locus.

Tres igitur Sinarum libri orbis terrarum sectas numerant: nam alias minime norunt. Prima est *Literatorum*, altera *Sciequia*, tertiam *Laucu* vocant. Ex his tribus aliquam Sinæ omnes, & reliqui populi contermini, qui Sinarum characteres habent, profitentur. Ii vero populi sunt Iapones, Coriani, Leuquici, & Cocincinenses. Literatorum secta Sinarum est propria, & in hoc regno antiquissima. Hæc Rempublicam gubernat, pluribus libris abundat, & supra cæteras celebratur. Legem hujus sectæ non eligunt Sinæ, sed una cum literarum studiis imbibunt, nec ex iis, qui